



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Ad Quæst. 76. & 77. Additio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

## Ad Quæst. 76. &amp; 77. Additio.

Utriusque hujus quæstionis ab auctore tradita determinatio periculosa est; etenim quo ad Priorem jam olim contrarium dixit *S. Antonn. 3. par. tit. 17. c. 11.* & *Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 3.* & post illos *Navarr. in manuali c. 27. n. 266.* & hodie satis clarum videtur ex decreto Clementis VIII. supra ab ipso auctore allato. *Post. quæst. 56. hac par. 4.* de cujus intellectu vide etiam *Luc. Fleron. in tract. de casib. reservat. par. 1. c. 2. §. 1. in fine.* quinimò in S. Congregatione inquisitionis habita die 24. Septemb. 1665. coram san. mem. Alexandro VII. censuram passa fuit propositio asserens, mendicantes posse absolvi à calibus Episcopo referatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

Quo verò ad posteriorem, S. Congregatio Concilii declaravit idem Concilium *c. 1. sess. 23.* sustulisse privilegium Clementis V. concessum regularibus in Concil. Viennensi, de quo in *cl. dudum §. si verò de sepult.* audiendi scilicet confessiones secularium sine licentia Ordinariorum, quoties hi eandem exhibere noluerint, ut refert *Fagnan. in c. nonnulli n. 28. de rescript.*

## Ad Quæst. 79. Additio.

Nota quæstionem illam de Clericis conveniendis coram iudice seculari in actionibus realibus maximè controversam esse, parte utràque hinc inde propriam jurisdictionem defendente. Et quidem de jure veteri est opinio eximens Clericos à foro Laicorum non tantùm quoad personas, sed etiam quoad bona, pro quibus sunt text. in *c. si diligenti de foro comp.* & *c. seculares eod. tit. in 6.* & in *Amb. Fla. in n. C. de Episc. & Cler.* & tenet *Bald. in c. 2. de iudic. Archid. in c. un. de Cler. conjug. in 6.* *Abb. in c. quatuor n. 8.* & *Felin. ibidem n. 2. de iud.* idem *Felin. in c. Ecclesia sub. n. 7. de consuet.* & plenè *Marian. Socin. in c. ex parte de foro compet. Oldrad. con. 73.* & istam opinionem tenet Curia Romana, ut testatur *Archidia. suprad.* & apparet ex *dec. 957. coram Seraphino.* Alibi autem de consuetudine servatur contraria sententia *Guilhelmi de Cuneo in Amb. si Clericus C. de Episc. & Cleric.* quam in Gallia teneri affirmat *Joan. Fab. in §. si verò reus col. 3. in §. de satisfact.* & latè defendere conatur *Boer. dec. 69.* & *20. in 1. part.* & ita etiam in Camera Imperiali servari testatur *Gaill. l. 1. observ. 37.* & *Mynsing. cent. 1. obs. 22.* & *cent. 4. observ. 95.*

DECL.